

*cepœia Londinensium* aloë lota dicitur depurata.

Ex hoc etiam facile liquet, liquorem ad lotionem requiri insipidum, aqueum, vel etiam, si velimus, destillatum, corroborantem, tūm frigidum, tūm calidum. Sic, quod exempli loco etiam infervire potest, Q̄rius dulcis non opus habet, ut toties sublimetur, sicuti vulgo id præcipiunt, ut vel decies id fiat, sufficit unā vice id præstari, modò hinc remotis impuritatibus, præsertim in superficie adhærentibus, pulverisetur, & lotione aquæ calidæ, si quæ insunt adhuc particulæ salinæ acres, elutrientur, factâ dehinc debitâ exsiccatione. Atque hæc Cinnabaris præparatio requiritur, antequam usus ejus in medicina salubris esse possit.

---

## C A P U T XXIV.

*Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis præparati vires admirandas in genere perlungstrat.*

**T**antæ Cinnabaris hujus mineralis, seu Minii naturalis præparati sunt vires, ut etiam cum auro certet. Auro Cinnabarini nativam pretiosiorrem putat *Josephus Quercetanus Tetr. graviss. capit. adfect. cap. 33.* in ea enim latent egregia arcana contra infinitos affectus internè adhibenda. Hinc ea selectior, censente *Dn. D. D. Dan. Ludovici Pharm. pag. 345. & 346.* Q̄riale quidpiam tutum, efficax & parabile est. Non quidem directè & per se diaphoreticum, sed bonum saltem ac polychrestum exaltatorium, multorumque concurrentium symptomatum præsens est deleterium, ut æque felicius,

imò securius revera-curabilia ( inter competen-  
tium accessum ) percurari tantisper queant citra  
vulgatiorum  $\mathfrak{O}$ rialium , ( plerumque saltem tran-  
scriptorum ) remissas aut infidas experimentatio-  
nes , vel secretiorum operosiores perquisitiones .  
*Idem* pariter pag . 351 . & 352 . Cinnabaris nativa se-  
lectior , aut à saxo adhærente per trituram aut elu-  
triationem separata , citra aliud artificium , quam  
diuturno ( donec paucis abhinc annis magis nunc  
increbresceret ) usu præstantissimum ac securissi-  
mum  $\mathfrak{O}$ riale paulò antè laudavimus , non solum  
diaphoreticā modò dicta notabiliter exaltat , ut v.  
gr. simplex bezoarticum minerale , debitâ hujus  
proportione tinctum , sæpè pro  $\mathbb{O}$ lari æstimatum  
fuerit . Nec epilepticis tantùm ( etiam recens na-  
tis , ) si unquam quidquam inter ejuscemodi speci-  
fica , ( in sufficienti tamen ubique dosi ) benefacit ;  
verùm etiam hysteriarum ( ne opiatis quidem pla-  
candarum ) colicorumque tormenta , vertigines , va-  
gas arthritides , dentium aliarumque nevosarum  
partium dolores , cutaneosque affectus complures ,  
&c. solitaria vel præcipitantibus aliisve specificis  
sociata ) evidenter lenit atque tollit ; in phantasiaz  
insuper vitiis , morbillis , petechiis , plurimum con-  
fert .

Cinnabrium nativum *Frid. Hoffmannus meth.*  
*med.lib.1. cap.19.* vocat  $\mathfrak{O}$ rii radicem & mineram ,  
illudque magnarum esse virium adfirmat .

De Cinnabari nativa , ob qur illius anodynum  
effectus notabiles se vidisse asserit *Excell. Wedelius*  
*de Medicam. facult.lib.2.sect.2. cap.10.*

Vi cephalicā , nervinā , absorbente humoresaci-  
dos , acres , austeros , & in coagulum abeuntes li-  
quante & fundente , excellentissimā prædita est .  
*Idem Pharm.lib.2.sect.3.c.4.*

Cin-

Cinnabari nativâ fluxiles redduntur humores, in coagulum abeuntes, tenues nimis & acrēs corringtonunt, ut indē quod ultrā Cinnabarini & opium acrimoniam & dolores æque tollat, vix aliud sub sole reperiatur. *Idem Pharmac. lib. 2. sect. 5. cap. 3.*

Hæc, q̄ur temperatum obtinens, demulcet, acrimoniam mitigat, acorem absorbet, dolores fugit, capitis doloribus, nervorum irritationi ac doloribus quibuscumque subvenit. *Idem de Medicam. facult. lib. 1. sect. 1. cap. 2.*

Hæc usum habet ad absorbendos & diluendos humores acres, irritantes membranas, spiritus efferratos ligandos, sopiendos & demulcendos, porisque quatenus acorem absorbent, libertatem conciliandum. *Idem de Medicam. facult. lib. 1. sect. 3. cap. 1.*

Quænam verò sit eligenda, cruda, ati verò præparata, præprimis dispiciendum est. Crudam per se, & citra ullam præparationem aliam, quamquam naturæ coctionibus temperata est, ut remedium nobilissimum, & admirandarum virium adversus multos morbos, admittit Joseph. *Quercetanus l. c.* Eam pariter Excell. Joh. Michaelis approbavit, sed depurata esse debet; sicuti quoque nos in quibuscumque remediiorum formulis, & ubi usus illius requiritur internus, semper depuratam atque præparatam intelligimus; quæ enim scorias depositum, probator existit; quomodo autem optimè depuretur, jam diximus. Hæc quippè depurata, in desperatisimis etiam morbis, cum multorum symptomatum congerie stipatis, maximi, ob notabilem ejus effectum, astimanda est. Et sane mirandum est, quod usum ejus internum, præterquam quod antepilepticis nonnunquam permisceatur, non

inelius, ut Chymicus clarissimus, Schroderus intellexerit.

Licet enim directe & per se non sit diaphoretica, polychrestum attamen, exaltatorium, & præsentilimum ac securissimum alexiterium est. Imò tale medicamentum est, quod in infinitis ferè adfectibus sine pari reperitur.

Sunt nihilominus, qui tām hujus Cinnabaris nativæ quām ḡnii usum internum admodum suspeñtum habent. Cinnabaris ḡnii, dicunt, aquā calente dissoluta, abit in pulverem niveum ejusdem generis, quod est ḡrius vitæ. Nativa facili negotio in ḡrium currentem, & sic iterum in Cinnabarin convertitur. Et hinc cum utraque pristinam retineat naturam, eadem etiam excitare possunt symptomata, quæ ḡrius, sive crudus, sive præparatus. Verūm enim verò hæc in contrarium adducta argumenta contra Cinnabaris tām nativæ, quām factitiae ḡnii usum internum tanti non sunt ponderis, ut cordatum Medicum ab ejus usu interno deterre queant. Nam primò Mechanica ista de Cinnabaris ḡnii per aquam calentem transmutatione in ḡrium vitæ album falsa est. Et potest hoc ipsum quilibet experiri. Deindè, posito, ex nativa Cinnabari facili negotio ḡrium elici; id quod etiam verum est; quid tūm postea? Mercurius siquidem cum p̄fre ḡnii ligatus, in Cinnabari sui non est juris, sed hujus compedibus ligatus à turbis istis gravioribus, quas vel liber, vel Θ libus corrosivis irretitus concitare solet, iam planè immunis existit, & illustres illas dotes obtinet, quibus etiam contagiosis, epidemiisque morbis ipsique pesti exterius appendus) singulari proprietate resistit. Et quamvis Cinnabaris hæc adsumpta minimè ventriculi digestio-

ni pareat , neque in corporis nostri œconomiam recipi possit, adsumpta tamen quamdiu hæret in stomacho , Archeum nostrum alterando variè mireque afficit. Ab utroque, pre nimirum  $\text{Gn}^{\text{ii}}$  &  $\text{Q}^{\text{io}}$  vim anodynæ & specificam , veneni epileptici domitricem, obtinet. Horum singula quidem in lue venerea scabieque maligna conferunt, ast ab iis conjunctis longè uberior est exspectandum, etiam in suffocationis hypochondriacæ ( hystericae ) ne opiatis sæpè sedandæ , & colicæ torminibus placandis , in arthritide vaga , phantasiæ vitiis , morbillis , variolis , &c. Et tandem , si qua interdum noxa ab ejus usu orta , certè non ipsi per se & directè , sed vel minus ritè præparata , vel inconvenienter in usum ductæ , erit adscribenda. Et sic erit tanquam gladius in manu furiosi.

Cinnabarin hanc mineralem , ob virtutem ejus ineffabilem ferè in omnibus affectibus cephalicis , ex Cratone præprimis epilepsia magnetem vocant Dan. Sennertius Med. Practic. lib. 1. part. 2. cap. 31. Laz. Riverius Med. practic. lib. 1. cap. 7. Phil. Grüningius Florileg. Chymic. part. 13. cap. 1. & alii , ex ea que pulveres egregios epilepticos parant. Verum cum ipsum Cratonem diligenter consulimus , nuspian hæc invenimus. In Consiliis quoque ac Epistolis varia diversaque medicamenta contra epilepsiam enumerat , sed hujus ne verbo quidem mentionem facit. Ipsum potius valde dubium esse in Cinnabaris laude adversus epilepsiam deprehendimus. Nam in Epistolis Medicinalibus à Laur. Schultzio editis , & quidem epistol. 137. de vi magnetica adversus epilepsiam , inquit , in nativa Cinnabari , quam Minium quidam appellant , valde dubito. Et eam epistol. 168. in epilepsia ab empirico

quodam adhibitam damnat, & dicit, se istud non imitaturum, et si omnes homines ipsi authores essent, cum robusta etiam corpora vix illius usum ferre queant. Et procul dubio hoc facit ex mente *Eraſti*, qui epistol. 271. ad *Monauium* Q̄rium & alia medicamenta ex metallis præparata non temerè adhibenda suasit, quovis modo etiam fuerint præparata. Sic etiam consil. 42. ait: Medicamenta de Cinnabari non præscribo, cùm *Joh. Fernelius* in libro suo de *Lue* *vener.* tam dira symptomata usum Cinnabaris consequuta referat. Statim tamen addit; mihi nequid dissimilem, non persuadet, cum bono successu me illâ usum fuisse. *Viennæ* verè affirmare possum. Verum quamvis *Crato* Medicus sui temporis fuerit cæteroquin ob eximiam ac multijugam artis medicæ peritiam valde conspicuus, summus tamen Jatro-Chemizæ non fuit Dictator, sed & alii post eum fuerunt longè celeberrimi. Nullum tamen est dubium, si in hæc tempora incidisset, quin saniorem etiam medicinam cum aliis jam excoluerit. Licet etiam de Cinnabaris Magnetismo in epilepsia in ejus monumentis nihil reperiatur, studio tamen illud ipsum factum fuisse censendum est, dum Médicti sæpius experimenta sua celare solent, ne ita prostituantur, ac vulgaria fiant; nec arcana facile sunt illis patefacienda, qui adeò sunt improbi, ut ignorantiam suam non incusent, sed veritatem negent, ac eos, qui suâ industria adinvenerint, irrideant. Verum sicuti hæc meræ sunt conjecturæ: ita nihil certi concludunt. In historia, quam ex *Fernelia* adducit, dubium & que manet, utrum pictor ex Cinnabari nativa, an verò ex aliis rebus noxiis suis pigmentis v.gr. auripigmento, &c. mistis in dicta symptomata incurserit; deinde fa-

teri quoque cogimur, vaporem Qrii, in primis cum  
Hno adulterati summè noxium esse, id quod tamen  
de Qrio & pre invicem ligatis affirmare non possu-  
mus. Communi insuper & factitiae Cinnabari non  
fidendum etiam semper est, cum sàpè, ut fiat ru-  
tilantior, adjecto arsenico præparetur. Interim  
Cinnabaris hæc nativa, ut etiam Gnii, ob stupen-  
dam earum efficaciam in infinitis affectibus de-  
mulcendis summo in æstimio habenda est.

## C A P U T   XXV.

*Modum, quo Cinnabaris Mineralis præparata  
suam absolvit operationem, exprimit.*

**V**entriculi digestioni minimè paret Cinnabaris  
mineralis, neque in corporis nostri œcono-  
miam recipi potest, adsumpta tamen, quamdiu hæ-  
ret in stomacho, Archeum nostrum alterando va-  
riè mireque afficit. Hæc igitur odoretenus, aut  
nudo tantùm aspectu variis mirisque modis no-  
strum alterat Archeum; hinc ut terra mineralis la-  
pidescens à calore nostro atteri, & in actum deduci  
nequit; & ita substantiâ cädem, & modo eodem,  
quo assumitur, codem etiam immutata rejicitur;  
alimentum enim non est, quod in corporis nostri  
œconomiam distribuitur, sed medicamentum,  
quod licet corporis nostri meatus non penetrare  
valeat, variè tamen mireque Archeum ventriculi  
nostrum alterando afficit, ut in morbis curandis sà-  
pè præstet miracula. Nec obstat per alvinam regio-  
nem sàpè eodem, quo assumptum fuit, pondere &  
modo iterum ejici, nihil tamen hoc derogat salu-